

Solus eram, qui in utroque dixissem: tantas conuersiones aut fragilitas mortalitatis, aut fortunae mobilitas facit. Quidam ex iis, qui tunc egerant, decesserunt; exsulant alii; huic aetas et valetudo silentium suasit; hic sponte beatissimo otio fruitur; alius exercitum regit; illum civilibus officii principis amicitia exemit. Circa nos ipsos quam multa mutata sunt? Studiis processimus: studiis periclitati sumus: rursusque processimus. Profuerunt nobis bonorum, amicitiae, et obfuerunt, iterumque prosunt. Si computes annos, exiguum tempus: si vices rerum, aevum putes. Quod potest esse documento, nihil desperare, nulli rei fidere, quum videamus, tot varietates tam volubili orbe circumagi. Mihi autem familiare est, omnes cogitationes meas tecum communicare, iisdemque te vel praeceptis vel exemplis monere, quibus ipse me moneo: quae ratio huius epistolae fuit. Vale.

VII. C. PLINIUS CAPITONI SUO S.

«Admonitus, ut historiam scriberet, respondet, sibi idem stetisse, caussasque consilii ita exponit, ut discrimen simul orationis et historiae ostendat.»

Suades, ut historiam scribam, et suades non solus; multi hoc me saepe monuerunt, et ego volo, non quia commode facturum esse confido (id enim temere credas: nisi expertus,) sed quia mihi pulcrum inprimis videtur, non pati occidere, quibus aeternitas debeatur; aliorumque famam cum sua extendere. Me autem nihil aequae ac diuturnitatis amor et cupido sollicitat; res homine dignissima, praesertim qui nullius sibi conscius culpa, posteritatis memoriam non reformidet. Itaque diebus ac noctibus cogito, si qua me quoque possim tollere humo. (Id enim voto meo sufficit: illud supra votum) victorque virum volitare per ora. Quamquam o! Sed hoc satis est, quod prope sola historia polliceri videtur. Orationi enim et carmini parua gratia, nisi eloquentia sit